



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118650**

§. 95. Martinus Azpilcueta vulgo Navarrensis mortuus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](#)

Sæcul. XVI tes Romanas. Ceterum hic Vir non  
A.C. 1586 modo scientiarum laude eminebat, sed  
etiam suam eruditionem cum solidâ pie-  
tate raro nexu copulabat, miroque ca-  
stitatis, & temperantiæ exemplo præ-  
fulgens sua bona in pauperes tam avida  
liberalitate erogabat, ut post ejus obi-  
tum vix tantum superesset, quatenus  
sepultura suæ dignitati congrual honora-  
ri valeret.

§. XCV.  
*Martinus Azpilcueta vulgo Navar-  
rensis mortuus.*

*Poss. & Ni-* Pariter Martinus Azpilcueta celebris  
*col. l. c.* Jurisconsultus hoc anno mortalita-  
*Noan. Ery-* tem exuit, qui sub Navarrensis nomine  
*thræus t. I.* magis cognitus ita appellabatur, eo-  
*Finac. n. 5.* quod Verosanæ quodam Navarrici Re-  
*Thu. l. 84.* gni oppido prope Pompeiopolim natus  
effet. Hic Cadurci, ac Tolosæ studiis  
vacans, postea Salmanticæ, & Co-  
nimbricæ, necnon Tolosæ publice lite-  
ras tradebat, professus, quod Franciæ  
Regno potissimum suæ eruditionis par-  
tem in acceptis referre teneretur. Erat  
is Sacerdos, ac Canonicus Regularis  
Ordinis sancti Augustini ex Ronceval-  
lensi Congregatione, præcipue vero ob-  
insignem erga pauperes pietatem com-  
mendatur, nam omnibus sibi obviis li-  
berali manu subveniebat: celebratur  
etiam

etiam ob suam sobrietatem, vitæ inno- Sæcul. XVI.  
A.C. 1586.  
centiam, & præprimis propter summam  
erga amicos suos fidelitatem, quam  
etiam in Caranzæ caufsa, cuius supra  
meminimus, testatam reddebat: ejus  
enim amore Romam, et si tum jamjam  
octogenarius esset, proficisci non recu-  
fabat, eo duntaxat sine, ut hujus  
amici sui innocentiam tueretur, ac  
comprobaret. Ceterum reliquos vitæ  
suæ dies Romæ transigebat, ubi etiam  
mense Junio hoc anno Domini millesimo  
quingentesimo octogesimo sexto, æta-  
tis vero suæ prope nonagesimo quinto  
obiit, Corpusque ejus in sancti Anto-  
ni Patavini Ecclesia Lusitanicæ Natio-  
nis in Campo Martio sepultum quiescit.  
In ejus laudem scriptorum nonnulli suos  
exercuerent calamos, ejusque elogia  
ad initium operum, quæ Lugduni, &  
Venetiis edidit, reperiuntur.

Porro quamvis absque controversia *Dupin. l. c.*  
hic Vir inter celebriores sui ævi Juris- p. 468.  
consultos numerari mereatur, in eo ta-  
men merito culpandus, quod in mo-  
rum doctrina plurimas laxiores opinio-  
nes stabilire non abhorruerit, atque  
aliunde etiam stylo nec jucundo, nec  
eleganti usus fuerit. Ceterum opera  
ab eo conscripta sunt sequentia I. Con-  
fessorum manuale, II. tractatus de  
Usura, & de commutationum jure,  
III. de

**Sæcul. XVI.** III. de Simonia mentali. IV. De La-  
A.C. 1586. trocinio, V. de necessitate proximum  
 suum ab injuria ipsi illata vindicandi.  
 VI. de homicidio casuali. VII. de silen-  
 tio intra officium divinum. VIII. De  
 Regularibus, & alienatione bonorum  
 ecclesiasticorum. IX. de Parochorum  
 spoliis, & beneficiorum Ecclesiastico-  
 rum redditibus. X. De incompatibilita-  
 te beneficiorum, XI. Defensio apologia  
 pro libro de redditibus Ecclesiasticis,  
 XII. De fine actuum humanorum. XIII.  
 De poenitentia, Indulgentia, seu Ju-  
 bilæo. XIV. De eleemosynis. XV. De  
 Donis, & promissionibus pro obtainenda  
 justitia, vel gratia. XVI. De lege pœ-  
 nali. XVII. De precibus, horisque  
 Canonicis: præterea scripsit quasdam  
 juris prælectiones, & quinque libros  
 Consultationum. Referunt nonnulli,  
 quod hic Scriptor in Curia Romana Pœ-  
 nitentiarius fuerit creatus eo tempore,  
 quo Borromæus Cardinalis Majoris  
 Pœnitentiarii munus obibat.

### §. XCVI.

#### *Leonis de Castro extrema.*

*Possev. l. 6.*  
*Nicol. 8*  
*Dupin. l. c.*  
*p. 470.*  
*Morin. in*  
*exercit. Bibl.*  
*l. 12. exor. I.*  
*c. 2.*

Prioribus hisce duobus Scriptoribus  
 merito accensendus venit Leo de  
 Castro natione Hispanus Vallisoletanus  
 Canonicus, qui in Universitate Salman-  
 ticensi diu Theologiam professus, Do-  
 CTORIS